
HASI
ARMIN
lanoscr
Palat.
111

21. 4.

n. Cat. 1114

V. 1037

1037

47

Bartholomei Thasÿ versus:~

4-8

Anchora de prora reduces iam mictite Nautę
optatum portum fessa carina tenet.
Soluite uota deo seruati, carmina lęta
Dicite ponentes Delphica serta rati:
Extremis uenio garamantu finibus, unde
Quamplures merces, nomina, uerba, tuli:
Innumeras quondam, pelago sũ passa procellas
Fluctibus & crebris, precipitata fui.
Eolus inclusos laxauit carcere uentos
Vt me uexarent, obruerentq; salo.
Qui cum iam litus possem fere fracta subire
Sepius infesti me repulere procul.
Huc tñ euasi longum post tempus & annos,
post multas celi, post pelagiq; minas.
His me Neptunus pr oris appulit hisq;
Sedibus optatis sistere posse dedit.
Propterea metam sic inuenisse laboru
Tantorq; letor litora prima uidens

Sed mihi restat adhuc uasti maris equor agendum

Litora adire Deus, namque secunda iubet.

Ad terras ueniam longinquas Frisesomorum

Barbara quas olim Regna fuisse ferunt,

Sed quia solertes multi nunc ista frequentant

Dicimus facta lucidiora magis,

Illuc festinant pariter Iuuenesque Senesque

Hec loca contendunt quique uidere viri.

Hic arces portusque patent, armisque potentes

Vrbes cernimus flumina, rura, nemus,

Hic utres Baccho turgent, hic horrea plena

Et clauis multas ferrea claudit opes.

Plurimus hic Asinus, Nomen, substantia, corpus,

Principium, medium, forma, figura, locus,

Actio, nox, habitus, finis, respectus, Elenchus

Atque Modesteitas, copula, causa, modus,

Terminus, hecceitas, animal, speciesque genus

Circulus, exemplum, passio, corpus, ubi,



Regula, complexum, contra, fallacia, res, ens,

Ergo, simul, uerum, quando, sequela, sonus;

Hec & plura alia admiranda uidemus ibidem

Inde reuertentes, que retulere mihi:

Illic (ut perhibent) Boccardos, atque Baroccos

Camestres Fratres incoluere prius.

Cesaris imperio, super alto monte Feriso

Struxerunt urbem quam modo Cesar habet.

Hanc Bubabart, ambo concordi sorte uocarunt

Cuius & eternum nomen in orbe manet:

Imperat insignis cunctis hec urbibus una

Legibus ipsius Mundus ubique subest:

Ardua difficilem se aditum uenientibus offert

Qui nimis excelsa menia firma uident.

Hinc procul ignari, huc non admictuntur inertes,

Et timidos portis expigit illa suis.

Qui tamen obiectis constanter casibus obstat

Ille sibi laudes, omne decusque parat.

Hic felix uiuit prima florente iuuenta

Quem post longeuum nulla senecta grauat.

Hec mihi querende sedes, hec regna petenda,

Illhuc me uentus per Mare prosper aget.

Sed primum uos, o Superi quibus ipsa tuendi

Cura maris, supplex, Numina uestra precor.

Per scopulos, fluctus, per tot discrimina rarum,

Venturam regite, peruia sintque freta.

Non me Scylla petat, non turbet seua Caribdis,

Nec me sulcantem sorbeat unda rapax:

Eole, nunc Austros uinclis compesce furentes

Ne mihi (si fuerint) equora firma negent.

Tu quoque me Neptune uiam comitans, omnes

Ac demum portum, tanges posse sine,



Et Jam suspensis uelis diuelles funem,

Lictore compellor, Jamque recedo, uale.

Patrię, Parenti, propinquis, Amicis, sat.
si contingat nonnisi occubes Bar. 7.

Ergo ne tam subito, superis depulsus ab oris
Æternū ęthereo lumine cassus ero!
Ergo ne ulla feram durę solatia mortis!
Inuitū rapiet quę uiolenta caput!
Ah miser, & tantum potero perferre dolorem
Et potero tantis heu superesse malis!
Extremū neq; te moriens mea Flora uidebo
Extremum neq; te cernes care pater,
Nec potero extremū caris offerre propinquis
Oscula & heu manibus conseruisse manus!
Quod tn̄ heu possū uanę solatia mentis
Cū uera absunt, finges falsa liber,
Ac ueluti patria modo sim moriturus in urbe
Perspiciamq; undas Minio & Arne tuas
Mœniaque diui surgunt tutela Georgi
Miranturq; tuas Flora superba domos
Dicere sic libitum est ceu te Florentia cernā
Flora uale ęternū Flora beata uale.

8

Nec tibi vicinus noceat nec barbarus Hostis
Quin subito iratos sentiat ille deos.
Fesulei colles, neque o iuga blanda valete
Nunquam oculis post hac aspicienda meis.
Vos fluvij, fontesque, & flumina cara valete
Et tu qui placido laberis Arne vale.
Mox faciem in caros coniectus & om propinquos
Dicere sic videor, care pater valeas,
Care pater valeas, miseri nec flebile Nati
Funus, mesta senis funera deproperer.
Tu quoque qua viva nunquam sine matre fatebar
Vivere, tu longum iusta Noverca vale.
Vos parvae Neptes quondam mea cura valete
Cara sed ante alias tu Catherina vale,
Castaque fac serves Dno vidata pudorem
Agnoscat sponsam, quo puris ille suam.
Sedula tu patruo sponsum exorare memento
Ut velit ut nostris parcere criminibus.



Tu vero quem iam ter quinis solibus etas
Festinat iuvenem reddes de puero
O multum dilecte Nepos multumque monende
Fac ea sit semper, maxima cura tibi
Ut parvae crescant castae vivantque sorores
Donec sint Thedis aptae Hymeneo tuis.
Grandevum quoque fac semper veneres Parentem
Fac & Avi tibi sit, plurima cura tui,
Nunc Nati solare loco, ne vivat mestus
Abneget & leti sit comes ille mei.
Denique fac Patrui moribus prudensque periclo
Ut nunquam ultrices polluat ira manus,
Sepe etenim vindicta magis quam iniuria ledit
O ego vindictam quam caruisse velim.
Sic longum supero potieris lumine & auris
Sic tua conspicies tempora cana senex.
At vos predulces nimium, nimiumque sodales
Quis sine, si liceat, vivere non cupio
Et vos qui miserum non deseruistis Amici
Servatus quibus est spiritus iste meus,

Dum potuit seno venienti obstitit fato
Quatenus humanis viribus est licitum.
Ecce ego nunc superis æternum pellor ab oris
Ecce ego nunc vobis cogor abesse diu,
Cogor abesse diu vobis, simul atra videre
Tartara, et æterna claudere nocte oculos.
Vivite vos igitur longumque valete, nec illa
Utopia sint vobis fata inimica mihi.
Vivite nec lethi memores nec sortis iniquæ
Immemores prorsus, sed precor este mei.
Neque miseri memoratum funus Amici
perturbet tristi gaudia cordolio.
Exemploque meo lethi traducite vitam
Dum licet et nondum mors inopina venit.

:||:

Hactenus absque ulla tragicæ scenæ mentione
valete itaque omnes patremque solamini si forte
ultra quam decet nostris funeribus indoleat
Deosque orate inferos, superos, et Medioximos
ut nobis propitii sint. Iterum et extremum



valete iubente Amico Baccio qui carceribus
tenebris, compedibus, manicis, singulisque ferreis
necatus, et fato demum iniquo suppeditatus, lætus
tum vivet, lætusque emorietur, si oportuerit, non dubitet
Die xxv Augusti M DXCIX.

:||:

Mors inopina meæ quæ rumpit stamina vitæ
Cum minimum poterat displicuisse mihi.
Cum valido possem, nunc demum corpore Amicis
vivere, fors olim commodus et patriæ.
Sed quid ego hæc frustra! frustra et moror impia fata!
En properat nostræ turbæ ministra necis.
Surgere meque iubet, iam surgo, valete sodales
Imminet en capiti mors truculenta meo.
In primis Gulielme vale, Vannelle valeto
Fide mihi ante omnes o Phylomuse vale,
Prædulcis Cattane vale, Benedicte valeto
Cetera Amicorum turba relicta vale.
Ah cohibete precor lachrimas luctumque tenete

Non ego ut luctum discupio aut lachrimas,
Inmortalis .n. siquid post funera restat
Etherej aspiciam culmina celsa poli,
Fabula sin fuerim, solumq insomnia manes
Quid mihi cū lachrimis qui propero esse nihil.
Quin potius nobiscū hilares estote, q ultra
Impia nil poterunt fata nocere mihi.
Impia que longum Quis iactatū dinq
percaperent, uiuū, nō ualuere tamen.
Letus enim, quāq fato victurus iniquo
viuere decreram, letus & inde morj.
Jam quia constatum est, letum turbare sodales
Desinite ah uestris fletibus, o, socij,
Inmo agite & leti lucem hanc celebrate quotannis
Que me Fortune uindicat e manibus..
:Finis:

Bartmei Thasij versus:



Bartmei Thasij Epta ad Bartm Jansigladiu.

Deo opt. Max°.

O mnipotens, regis ethereas qui Juppiter Arces
Ors Diuumq Hominumq Sator. qui limite certo
Comprimis Adriaci crescentes burgitis undas
Qui Zefiris Euroq, & clarifico Aquiloni
Nubiferoq Noto certas moderaris habenas,
Quiq hominem e limo propria sub imagine formans
Esse Feris dominum certa ratione dedisti
Participemq Tui, Tu magni Conditor Orbis
Regnatorq Poli, Tu nostras excipe voces,
Tu nostri miserere, neci quos tradit iniqua
Dextera, dum prohibet nulla ratione ruentem
Pectus in aduersum collatis ictibus hostem,
Audacemq nimis, qui saeui uulnera ferri
Pretentans nostri nimium sitiensq cruoris
Ter frustra lateri iniectus, ter ueste repulsus
Ter quoq uitatus non destitit ante ferox q

Excepit veniẽs letales cominus ictus,
Morturus nondum cessat mihi fata minari
Innocuo, cedisq reũ non sponte peracte
clamat, & efficiet: Hi iam tua Numina nobis
Auxilio veniam, solus qui ~~cuncta~~ cũcta supno
prospicis intuitu, quem nulla humana latent
Facta queunt, solo quo teste refelles crimen
Mens valet, heu frustra obiecte nõ conscia culpe
Ergo ades insonti, mortisq exolve periclo
Quem scis nõ voluisse nephas fecisse coactũ
vulnera dum prohibet gladio seq ye tuer
Sancte Pater, tantosq veni miserate labores.
Tu potes infernos revocare i corpora manes
Et superũ monstrare diẽ, tibi sidera parent
Terreq ~~m~~ Tractusq Maris, Tu cuncta creasti
Atq idem in solo solus regis omnia verbo.
Humanas igit mentes & pectora ceca



Desuper afflatu labens moderare benigno
Omnipotens, lumenq in tantis ~~pande~~ pando tenebris
Et factũ testare meũ. ne Judice coram
Vera fidem perdant nostro nõ credita ab ore,
Ne dum vera putant obiecte crimina culpe
Arguar infandi sceleris, falsũq fateri
Cogar per varios cruciatus membra dolores
Suppliciũq ferar non iustũ Iustus iniqui.

—. Finis. —

Baccius Thasius. Baccio Janfiglactio. S.

Bacci, quem antiquę cũ insignia stẽmata gentis
Tum uitę nitor, ac studijs mens dedita honestis
Secernunt populo, quid agas, dum strider acuto
Aura gelu, septem nobis afflata trione,
Quotidie noua nix gelidis dum affligit' agris
Scire uelim, neqꝫ .n. incassũ tanta ocia labi
Desinere, ac nulla prorsus cũ laude putãdu'.
Æthrusci nõ igit' numeros ac uerba poetę
Quę magis arrident studio secernis ameno!
Quo tibi more patrias cum posces carmina Musas
Non inuita fluat lectorꝫ copia, et aptus
Verborꝫ nexus feriat qui leniter aures!
Vel te quę pataui magnus descripsit alumnus
Et quę tam uerj nitidi q̃ Julius oris
Romani retinent uoluentem gesta senatus!
An mage discendi ingenito correptus amore
Verino duce quo latijs nec doctior oris
Quisquam, candidior toto nec uiuit in orbe

Aeris, ignis, aque, terreq exordia queris
Que cause attulerint, et inter pugnantia longe
Corpora mixta chao abiungens, neque coherentia
Cognata inter se simili casu, ne Deus ut
Regnis queq suis, propriaq in sede locarit.
An uero eterna uertigine rapta rotet
Nec cessare queat uoluendi Machina mundi.
Fors etiam generi unde hominum, uolucrumq natura
Arboribusq fluant diverse semina uite,
Nec non sidera cur celo delapsa sereno
Aut cadere in terram aut uideamus in aera solui
Plurima, cum estiuas noxa humida temperat horas
Interdum siculis quid tanta incendia terris
Exciat, ut medio prospectans nauita ponto
Conflagrare putet stellantis culmina celi,
Occultas rerum libeat tibi querere causas.
Atque utinam studijs leuioribus, ocia, omissis
Talibus impendas: hic tu si forte roges cur

Hunc ego te malim inquo iam pridem ipse laboro
Cara seiunctus patria, uiduatus amicis,
Quam quemuis alium studijs insistere callem
Ardua res quamque est, paucis, aduerte docebo.
Inumquemque ipsum ut se nosset, limina Phebi
Commonuere diu, non id quo tangimus et quo
Dulcia deligimus contra aspernamur amara,
Non id quo audimus, quo cernimus, olfacimusq
Delphicus ut seruaremus precepit Apollo.
Quippe elementis ceu mortalia cetera corpus
Compositum nescit quis nostrum quattuor! atqui
Ætheream partem, qua nos distare fatendum est
A reliquis, quecumque ampli penetralia celi
Terrarumq solo, aut regnis animata uagantur
Neptunni, mentem ac rationem scilicet, omni
Adniti studio, diuina uoce monemur,
Ut noscamus, at, ut proprios agnoscere uultus
Qui cupit, in speculum aspiciat fulgore necesse est,
Sic anime nostre ante oculos speculum quasi quoddam

Ex intellectis rebus statuas oportet,
In quam splendore mens in seque reflexa
Agnoscat propriam visa sub imagine formam
Ipsa, imo, in speculo quam cernit fiat imago.
Nam veluti haud temere, veteres cecinere Poetæ
Prothea nunc in aquas, venti, flammasque sonantes
Tigridis interdum, tauri et simulacra leonis
Induere, ac rerum species se vertere in omnes,
Sic intellectus fieri qui cuncta potens est
Quas rerum apprehendit species, mutans ab illis
Inque illas abit, hec etenim mira est anime vis
Nostre, fiat uti quecumque intelligit horum
Nullum ante existens, qualis (conferre liceret
Si que corporeis constant e partibus, his que
Omni mole vacant) nondum depicta tabella
Cunctarumque expers formarum, obnoxia cunctis
Que depicta artificis cumprimum infecta coloris
Imbibit extemplo aut citharam spectandus Apollo



Aut hominis facies urbisve aspectus amene
Vel quidvis aliud fieri immutata videtur.
Instandum est igitur species cognoscere rerum
Nature nostre coniunctas, aut alioqui
Nos ipsos nobis prorsum ignorare necesse.
Atqui se ignorant, possint sibi, que nocitura
Nesciet omnino, quo vero ignota modo unquam
Nec vitare queat quisquam, aut querat illa adipisci
Quin hunc sepe mali falsa absterrebit imago
Mendax sepe boni, effigies in devia ducet.
Inscius ergo sui, nulla ratione feretur
In diversa animus, nunc quo furiosa libido
Extimulat, modo quo nimium tulit amor habendi
Nunc quo vana vocat ventosa gloria cursu
Non secus ac medio classis deprehensa profundo
Que quo tendat iter turbantibus ethera nimbis
Nocte intempesta fido et spoliata magistro
Nesciat hac illac, tumidis iactatur in undis
Quam vis cumque rapit ventorum vela furentum.

H as igitur tempestates animiq; procellas
S i uitare cupis, teq; ipsu' nosse laboras
S ponte tua, prudens, non est quo gaudeat eq [equi]
S in aliud quid agis, absens fac norit amicus.

Vale.

Baccius Thasius. Baccio Sanfiglactio (~~dio~~).s.

Bart^mei^ Thasij Ep̄ta ad G. buglelmū:

Bartholomeus Thasius Guglelmo

suo · S · D ·

Siquid agam Patria longe semotus ab urbe
Scire cupis, Patavi, iam novus incola, certum
Hec Gulielme brevis te reddet epistola, quã nũc
Scilicet Adriacis donec feriamur in undis
Inter Lusorũ cetus, inter Meretricũ
Millia, quot reliquus terre vix educat orbis;
Sub cene tempus, nunc ocia multa supersunt
His qui nec Veneri indulgent, quosque alea noxia
Haud iuvat, Hospitio cum reddidit occiduus sol,
Scribimus imbrifero quippe advectante Novembri
Noctis quarta fere ad cenã pransos vocat hora.
Ergo operepreciũ duxi, frustra ocia labi
Ne hec sinerem, quidvis potius comittere chartis.
Hic dum mente agito cui possem scribere primum
Occurris fidos inter memorande sodales,
Quem vite nostre simul & studij ratione

Consiliumque putes non ignorare necesse,
Cum quod Amicorum cognosces facta libenter
Sueuit Amicus, tum quo sibi forte uidebor
obliqua aduerso uitiorum flumine ferri
Admonitus possim retro dare uela, priusque
Naufragus impingar scopulo assuetudine praua
Ductus uiuendique. Quare et rogo et obsecro te ut mox (?)
Rescribens uere et sincere ac demum amice
Admoneas, neque enim Princeps sum aut Rex ego cuius (?)
omnia collaudas et consilia et rationes
Iam facti male quam bene oporteat et capitale
Sit sensisse aliter, nec interrebere uulgo
Quod pariunt inimicitias qui uera loquuntur.
Nosse etenim uerum cupidus, non laudis amator
Fidem consilium peto, quod non ulla sodalis
Gratia depravet, rectum, sincerum et ab omni
Norma assentandi uulgatam et lege remotum.



Ac primum ne te longis ambagibus angam,
Non ego multiplices humano in corpore febres
Discere contendo quae pellat, quaeue ferat res,
Non quod in hac arte hac inuicta et praeclara salutis
Plurima non insint nostrae, neque id asseuerem ausim,
Sed quod eam qui nunc profitentur cernere possis
Plerumque ignaros, mendacesque ac similes his,
Qui linguae strepitu freti nulloque pudore
Perque urbes passim, populosaque rura uagantur
Pharmaca uendentes cunctos pellentia morbos,
Quorum quo maiora fide uerorum sit ausus
Qui spondere aegris, quo lingua audacior et quo
Splendidior digitos raro illustrante lapillo,
Clarus eo magis et tanto maiore triumpho
Ibit ouans spoliis caesorum sanguine partis
Proh scelus. At siquisque ex illis bonus vir
Naturaeque sagax causarum cognitor adsit
Nec cerdo dignum sui se gnauiter (?) eger

Nec puto infectę quę succida uellera lanę
Nocte dieque trahit Mulier conducta triente
Nedum patritij quis sanguinis, hoc adeo fit;
Qui nec fallere pollicitis, nec tollere quenque
Vir bonus assueuit, dubio fugienda propinans
pocula successu, Et quoties cognoscere causas
Non poterit morbi dicet sine fraude, nec ęgrum
Fatalem ante horam lęto dabit improbus, ergo
Ridiculus fiet, frustra et profitebitur artem
Hos inter ueri custos et amator honesti.
Verbosas uero leges, perplexaque iura
Barbarasque Accursi (me non comitante) sequatur
somnia, quem stimulat iusto plus ardor habendi,
Vel qui uentosos leuis admiratur honores.
Me cui paupertas grata est, quem gloria tangit
Nulla, patre obscuro natum, Florentia quondam
Intra męnia, quę fluuio spectandus ameno
Arnus Fesuleas prope labens, diuidit arces



Naturę iuuat abstrusas perquirere causas
vili contentum hospitio, nunc fulmina cęlo
scrutantem terris quę uis intorqueat, et nunc
Cęlestem pingat quid mille coloribus Arcum.
Interdum Adriaci miratus gurgitis undam
Tempore tam certo alternantem, scire laboro
Luna uices istas, an agat nunc proxima terris
Nunc Augi uicina, an humi pręclusus hiatu
spiritus attollat, mox idem deprimat ęquor
Efflatus terra alternis et reddidit ima.
Hic autem studio si quisque quęrat amice
Quid sperem interius, quę pręmia sollicitent me,
Non aliud, nisi quod Crœsum consultus Apollo
Delphicus admonuit, quid agendo uiuere felix
posset quęrentem, sum respondere paratus
scilicet ut me ipsum noscam, subiisse laborem
Hunc tantum, hic rursus si forte roget quid
Conferat hoc studium, quo me cognoscere possim

Ardua cum q̄ res multi sermonis egeret
Tum longo hęc minime ne crescat epistola tractu,
Pretermitto libens alias scripturus abunde.
Dum hęc igitur patauj, Antenor quā cōdidit urbē
Mœnibus inclusus uerso noctesq; diesq;
Ambitione procul, diraq; cupidine habendi
Sepositus, fęlix prorsus, si dicere quęq;
Mortali phas est uiuentes lege breuis
Vestra tueri ora, alloquijs & perfruj amicis
Si possem simul, o uitę pars optima nostrę
Quos uiuus tribuit mihi nō Fortuna sodales.
At uos interea festis bona turba diebus
Vicinos urbi colles qui Thessala Tempe
Delitijs uincunt, lento per deuia passu
Scanditis & modo decliuis prope murmura Lymphę
Herbosa ingiuum strati sponda, inter odorum
Frondis Apollineę nemus aut uiridis Cyparissi
Artifici simul & concordi uoce canentes,



Dulcisono attonitas mulcetis carmine siluas.
Interdum agrestes inter saliysse choreas
Montanę admixtos turbę iuuat & pede terras
Ad cytharę strepitum numeris pulsare soluto,
Aut ubi densa comā crepitantibus incita uentis
Propter aquam pinus, ut qua uiridātia late
Braccia & ingentem ramorę porrigit umbrā
Vlmus, ruricolis arbor dilecta puellis,
Scilicet hęc uos dum gelidis considere lucis
Ardua semita Phębi & torrida tempora suadet.
Nunc alia oblectant Autumni frigore quippe
Ante focum tali, crateres, uina, Fritillus,
Et noctem in multam sermones ferre iocosos.
Proxima iam resides sed Martinalia cū uos
Baccharum furere antiquo de more inbebūt
Quos, o, tunc dabitis, quos ebria turba tumultus
Quos ludos uino madidi, quām lęta choreis

Carmina psallentes per tempora debita somno.
Quantos clamores, quę baccanalia demum
Audiet insanus vicinia concita turbis.
Presertim si Martinj de nomine dicti
prefectus sacro adfuerit iucundior inter
quo nō est quisq̃ magis nec festivus amicos
Noster Martinus, sic vos nunc plurima nostis
Ocia (ni fallor) nisi vos sententia verti
Transigitis, sic estivas in collibus horas
Ducet nobiscū memini dum rara legentes
Gramina, per valles lęti, & nemora alta vagamur
Fonte ęstu nitido solantes, carmine curas.
Nec vos damno equidē, exiguę quī tēpora vitę
Cassa voluptatis haud sinitis dulcedine labi,
Quin laudo magis, hec inter modo gaudia Amici
Interdum meminisse velitis, pectore qui vos
Insculptos memorj ceu duro in marmore servat: